

17205 17205
35.
ORDINIS 1737 26 31
IVRE CONSVLTORVM

IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.

**DECANVS
GODOFRIDVS
LVDOVICVS
MENCKEN
ICTVS**

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET
PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE AVLAE AC
IVSTITIAE NEC NON IN SVMMO PROVOCATION-
SENATV CONSILIARIVS ITEMQVE COLLEGIO-
RVM QVAE VITEMBERGAE FLORENT IVRL
DICORVM ET IVDICII PROVINC LVSAT.
INFER ASSESSOR

1½

as Conf. El. 27. Bl.

337.

ORDINIS
VULGO CONSULTORIUM
ACADEMIA ALTMERSEGENSIS
DECANUS
GODOTRIDAS
LADOGAICAS
HENGREIN
JCTAS
INFERI VASSGOR
DISCERNAM ET TEGI PROAVING PAVLT
HABEAT ALTMERSEGENSIS FORTRESS
SCANDIA GONTHIARIA ET LEMONE GOTLIEB
LUDWIG MONSINSAMMO PROVOCAITION
RIMPIRS FREDERICUS SAXONIAE AVAIE AD
TOLUSSIMI POLONIAE AYU REGIS ET
LUDWIG BEATAE ALTMERSEGENSIS FORTRESS



Emo miles sine cognita culpa beneficium suum amittat: si ex culpis iis uel causis coniunctus non fuerit legimus in textu 1. Feud. 21. & 22.
Cap. Sancimus. Neque maior committi potest nullitas, quam quae nascitur ex omissa causae cognitione. *L. 7. C. de Sentent. & Interloc.* Hac demum adhibita, de delicti qualitate, auditioque reo, an, quaque poena afficiendus sit, constat. Antea ergo quam Vasallus, ingratitudinis a Domino accusatus, condemnetur, Iudicem, in tam ardua causa, obseruata Processus Iudicarii forma, solicite in factum inquirere, officii ratio efflagitat. Cum enim indefensus a Iudice condemnari non debeat, hinc nec Vasallus hoc beneficio defensionis, in Iure reo tributo, exuendus est, priuarique, cognita non ante culpa, feudo nequit. Et quamuis ipso Iure quandoque

doque feudum amittatur, uti exemplum in alienatione feudi, sine consensu Domini, facta, exhibet *textus 2. Feud. 55.* nec illam tamen priuationem absque causae peruestigatione, sententiaque eo nomine lata, procedere, demonstrat HARTM. PISTOR. *Lib. 1. Qu. 35. num. 6.* Quanta peculiaria ille, quem iustitiae feudorum Leges praescriperunt, procedendi ordo continuerit, latius hic exponere, instituti ratio haud permittit. Prolixe haec quoad Ius Longobardicum tradit SCHRAD. *de Feud. Part. X. Sect. 7. 8. 9. & seqq.* Solemnia uero Processus Feudalis Saxonici, occasione des Lehn-R. *Cap. 65. & 68.* uberrime explanat BERLICH. *Part. 1. Concl. 62.* & quae Iure Alemanno specialiter constituta, docemur a SCHILT. *ad Ius Feud. Alemann. Cap. 14. 15. & seqq.* His autem captiosis subtilitatibus, ad solennitatem magis, & procrastinationem litium, quam ueritatis indagationem, facientibus, in Saxonia nostra non indigemus, postea quam SERENISSIMVS ELECTOR SAXONIAE *Conf. Elect. 27. Part. 1.* antiquum hunc Iudicij ordinem abrogauit, causasque feudales, secundum normam Processus Iuris Communis, uentilari sanciuit. Quid per Ius Commune in *bac Constitutione* intelligatur, dubium uidetur quibusdam, quod tamen exploratum ac expeditum est. Intentio enim Summi Legislatori manifeste apparet, quod illa Iura, quae in aliis allodialibus caulis, insuis terris, obseruantur, feudalibus, aequali ratione, applicari debeant. Hinc non Ordinationes tantum Processus Saxonici, potissimum Noua ac Recognita, sed, casu ibi non deciso, Ius Canonicum quoque, quod, in materia Processus, Iuri Ciuiili praeferitur,

Obser-

obseruandum est. Amplissimum foret, singula, quae tam initio, quam progressu litis requiruntur, hic enucleare. Quare, depositis aliis, de ea saltem, dubiis non carente, dispiciam quaestione : Cui, a Procuratore Fisci causarum feudalium reuocatoria, ex capite neglectae petitionis Inuestitiae, coram Regimine Aulico instituta actione contra Vasallum, litisque contestatione legitime facta, per sententiam, quae sequitur, interlocutoriam, probatio iniungenda sit ? Evidem alias illi, qui delictum alteri obiicit, istius probationem incumbere, expediti Iuris est. Delicta enim a Lege regulariter non praesumuntur. *L. 51. ff. pro Soc. L. 18. ff. de Probat.* Adeoque actione, ex delicto descendente, utens, ante omnia fundamentum suae actionis, quod in delicto ponit, liquidum reddere obstringitur. At illud eo usque saltem ueritate nititur principium, si alia causa non accedat, quae praesumtionem doli uel culpae inducit. Quoties itaque factum aliquod, in Legibus prohibitum, demonstratur, tories nullatenus opus est, ut malitia uel culpa committentis, probetur, quam Leges ex ipso facto illico iam praesumunt. *L. i. C. de Sicar. L. 5. C. de Iniur.* Pone itaque, Procuratorem Fisci causarum feudalium, ob alienationem feudi, sine Domini consensu, a Vasallo factam, repetere feudum, & agere contra Vasallum, an ipsi incumbet probare, Vasallum in contemnum Domini intermisso consensu petitionem ? Minime. Sufficit, quod de uenditione hac, illegitime suscepta, Iudici fidem fecerit ; illa enim per se iam coniecturam contemnitus parit. Eadem praesumtionis causa adest, si quis illud non fecerit, ad quod Iure obligatus erat. *L. 3. ff. 9. L. 44.*

ff. Mand. L. 1. f. 22. ff. Depoſ. L. 41. ff. ad Leg. Falcid.
Hinc si Vasallus, anni & diei ſpatium, petitioni Inueſtiturae Renouationis praefinitum, praeterlabi paſſus eſt, neque officii in hoc, uti ipſi incumbebat, adimpiuit partes, ſuſpicionem contra ſe excitat, quod in contemnū Domini illud tempus neglexeſerit. Terminus enim Legis eſt peremptoriuſ. *Cap. 57. & Cap. 44. X. de Appellat.* Cum itaque Procurator in cauſis feudalibus, in eius lapsu, ius ſuum agendi fundet, iuſtiſiſſimam pro ſe praefumtionem, eum ab omni probandi onere relevantem, habet. Accedit, quod negantiſ per rerum naturam nulla ſit probatio. *Cap. 11. X. in Princ. de Probat. L. 23. C. eod.* Vt autem Procurator, ob non petitatam Inueſtiturae Renouationem agens, negatiuae inhaeret; ita, ſi breui atteſtato Curiae Feudalis illud docuerit, ulterior quoque ſcientiae Vasalli, & ex ea dimanantis contemnū Domini, probatio exigi nequit. Non alienus a mea ſententia uidetur SCHRADEVS Part. IX. Part. Princ. Sect. 12. n. 23. ubi in feloniis negatiuis non Domino, ſed Vasallo, probandi onus incumberet, inquit. Fingamus enim, Dominum, ob non praefita a Vasallo feruitia, Condiſtione cauſa data cauſa non fecuta, *in tex-
tu 1. Feud. 21. Pr.* fundata ac praefcripta, aduersus eum experiri; quis dubitabit Vasallum, qui niſi feudo priuari uelit, ad feruitia exhibenda, paratum ſe fuifſe contendet, huius ſuae assertionis probationem in ſe uſcipere debere? Nulla alia hic cauſa ſubeft, quam quod in negatiua Dominus ueretur. Quidni ergo, ſi praeter eam, Legis praefumtiones pro eo militent, uti in controuerſo caſu probatum, Vasallo probandi neceſſitas iniungenda erit. Haud tamen
me

me fugiunt contraria dissentientium argumenta. Ob-
iiciunt nimirum: terminum, ad impetrandam Inuesti-
turae Renouationem, Lege definitum, a tempore de-
mum scientiae currere, *Conſt. Elect. 45. Part. 2.* eoque
nomine non prius feloniae reum Vasallum censeret,
quam si ad eius notitiam mutatio personae Domini
uel Vasalli peruenierit. Hinc concludunt, quod si
Dominus, aut Procurator eius, ob non petitam, legi-
timo tempore, Inuestiturae Renouationem, feudo
Vasallum priuare, actione intendat, posita huius a-
ctionis cauſa in delicto, necesse quoque sit, ut scien-
tiam Vasalli probatione euincat, fine qua felonia haec
existere non potest. Idque eo magis; cum igno-
ranta potius facti alieni praesumatur, quam scientia.
L. 21. ff. de Probat. Ast si uel maxime concedam,
fundamentum huius reuocatoriae actionis in delicto,
consequenter in scientia Vasalli, situm esse, probatio
tamen suaue intentionis Procuratori causarum feuda-
lium nullo iure imponi poterit. Cum enim intentionis
fundamentum Legis iam praesumptione muni-
tum sit; ea uero euidentia iam & liquida dicatur pro-
batio, *L. 24. & 25. ff. de Probat. & Praesumt. L. 30. ff. de*
Vulgar. & Pupil. Subſtit. ulteriori probatione non indi-
get. Quamuis autem quidam, in graui hac, ad pri-
uationem tendente, causa, praesumptiones admitten-
das esse, negent, eo potissimum, quod in *textu 2.*
Feud. 57. exprefſe fancitum: *feudi priuationem non obtinere,*
nisi quinque testibus, summae ac integrae opinionis, proba-
tum manifeste fuerit; in iis autem causis, ubi a Legi-
bus probatio per testes, sub conditione, uti hic, in-
iungitur, praesumptiuae locus non relinquatur.
Hoc tamen eo minus obstaculi sifit, quo lucu-
lentius

lentius, inspecta *hac textu*, enitescit, *cum* distinctas,
a nostra, feloniarum species continere. Loquitur
nimirum de eo casu, si Dominus, ob factum atrocissi-
mum, machinationis, insidiarum, uel cucurbationis,
a Vasallo commissum, feudum reuocet. Tunc enim
actori, factum afferenti, incumbere illius probatio-
nen, certissime in Iure constat. Agens uero ob in-
termisam Inuestiturae Renouationem, negat factum,
nihilque affirmat, eandemque ob causam immunita-
te, a necessitate probandi, eum gaudere, omni du-
bitatione uacat. Praeterea, si etiam Leges probati-
onem manifestam efflagitent, praesumptiones quidem
hominis cessabunt, at, quae Legibus inducuntur, o-
mni modo admittenda sunt. Neque ignorantia fa-
cti alieni, quam Leges alias praesumunt, in Procu-
ratorum Fisci causarum feudalium probandi incom-
modum transfert. Praesumtio enim contemtus, ex
omissione petitionis Inuestiturae elicita, remouet praesumtione
ignorantiae. Nec illud quoque silentio
praetereundum est, Procuratorem hunc, si ad pro-
bandam Vasalli scientiam adstringatur, ad impossibili-
lia adigi, quorum tamen nulla in Iure est obligatio.
L. 185. ff. de R. I. Vnde enim ille scire poterit, Vasal-
lum, quem saepissime nomine tantum cognitum ha-
bet, in exteris remotissimisque terris quandoque de-
gentem, notitiam accepisse mutationis, quae in feu-
do contigit? Quaque ratione, quoque modo, probati-
onem suscipiet, in animo Vasalli latentis scientiae?
Et quamuis per iuramenti delationem ueritatem e-
rui posse uideatur, qua facta, Vasallus iureiurando
confirmare debeat, quod, intra anni Saxonici spati-
um, de morte aut mutatione nullam habuerit noti-
tiam;

tiam ; neque illud tamen probandi remedium ad Fiscalem Curiae Feudalis pertinebit. Talis enim, ut plurimum generali saltem mandato instruetus, transfigendi potestate, in praecidicium Principis, nullatenus gaudet, *L. 60. ff. de Procurat.* cumque iusiurandum speciem transactiōnis contineat ; *L. 2. ff. de Iure-iur.* consequens iure deducitur, ipsi, iuramentum deferendi, potestatem haud esse. *arg. L. 17. §. 3. ff. de Iure-iur.* Hac impossibilitate perspecta, aliter euenire non potest, quam ut Procurator, copta lite, probationis onere ipsi imposito, ea destitutus, causa cadat, vel labore inani pertaesus, a lite desistat. At minimum est, quod Procurator exinde sentit, praecidicium , maximum in Principem redundat. Summum Ipsius ius, quod competit, feudum, ob talem perpretatam feloniam, vindicandi, si non plane corrueat, difficillimum tamen exercitu reddetur. Tanto itaque consultius iudico, Procuratorem in causis feudalibus, ab impossibili scientiae Vasalli probatione liberare, tantisque Legum praesumptionibus adiutum, ad Lege incognitum probandi onus non deuincire. Cum enim, ob solam omisiam relutionem literarum Inuestiturae, contemtus suspicio exoriatur, *Mand. d. An. 1580. d. 1. Augus.* verb : zu besonderen Missfallen und Nachdenken Anlaß gegeben, ob solches zu Verachtung der höchsten Lehn-Gerechtigkeit gereiche et multo magis, si ne petierit quidem, Vasallus in eam incidet. Quare cum praesumptionum ea sit virtus, ut probationem in aduersarium transferant ; *L. ult. ff. quod met. caus. L. 24. ff. de Probat.* atque negativa satis probata censeatur, si non doceatur contrarium,

B

um,

um, L. 1. C. de Probat. iunct. L. 2. ff. eod. certissime con-
sequitur, quod Vasallus, prae sumptionibus contra se
militantibus, suam ignorantiam defendere debeat.
Atque hoc ipsum est, quod Mandatum d. A. 1691. d. 12.
Nouembris. §. Wer den also ic. ipsi iniungit, uerb. Es
wäre dann, daß er gnugsame Zeugniß seiner ge-
brauchten Vigilanz, und daß er wegen einiger bei-
solcher Lehen, vorhandener Bedencklichkeit und
Hinderniß nicht darzu gelangen möchte, Darthun
könne. Hinc, si alio modo ignorantiam suam, aut
iusta impedimenta, legitime probare non ualeat, de-
mum, suadentibus circumstantiis, ob suggestas ratio-
nes, probabilitatem inducentes, iuramento, a Iudice
eo nomine deferendo, a contemtus suspicione se
purgare obstringitur.

Sufficient haec. Nam de uita nostri Candidati
aliqua scribenda supersunt. Natus est Lipsiae d.
XVI. Calend. Mai. An. M DCC XII. me Patre,
h. t. Ordinis nostri Decano, & Matre Christiana Ma-
ria, ex gente Zolleria, quam cum uitiae periculosa
ualetudine confluentem, misericors recreet, ac re-
ficiat DEVS! Postquam sacris initiatuſ, progressu
temporis eis dedicatus est literis ac studiis, quae ad
ipsum informandum, ac in publicum producendum,
salutaria non minus, quam necessaria reputari pote-
rant. Priuatis maxime institutionibus instructus, o-
perae dilaudandae, in se expoliendo, Virorum Ce-
leberrimorum, GVHLINGII, GERLACHII,
& KLOTZII, multum debet. Academica studia
tractare ingressus, historiae notitiam ex Ill. BERGE-
RI,

RI, prudentiamque moralem ex Magnifici HAS-
SENII praeceptis hausit. Nec minus in Philo-
sophia, institutione Virorum Excellentissimorum, Am-
plissimorumque, HOLLMANNI, SCHLOS-
SERI ac BAVMEISTERI usus est. His positis funda-
mentis, ad Iuris studium incumbens, ex ore Illustrum
ac Excellentissimorum ICtorum, LEYSERI, BA-
STINELLERI, KRAVSII, B. WERNHE-
RI, CRELLII, peperit, postremo quoque, ad
initium, priuata manuductione, in literis humano-
ribus excolendis, non parum adiutus. Quod omne
gratissimo pioque animo agnoscit ac reueretur. Mea
ex parte, Iuris, ut audit, Cursum cum ipso pertraeta-
ui, eudemque ad publicas aliquando praelectiones,
ac disputatoria exercitia suscipienda, praeparaui. In
his, cum, non infelici successu, per aliquot annos oc-
cupatus fuerit, ex re esse putau, ut ad altiora pro-
gredetur. Inde An. MDCCXXXIV. d. XIV. De-
cembr. tentamen pro Candidatura sustinuit, & Col-
legiis, studiosae Iuuentuti habendis, uacauit. Tan-
dem secundo rigoroso, quod uocatur, examini se ob-
tulit, & hoc, non sine approbatione, transacto, po-
testas ipsi facta, cathedram ascendendi, & publico
specimine Inaugurali, se exhibendi. Id, quod die
XII. Iulii exequi, de Poena priuationis feudi, in Vasal-
lum, dolo uel negligentia, inuestiturae renouationem non
petentem, legibus statuta, sine Praeside disputaturus, parat.

* Godofr. Lector.
Menckem

Cui solennitati, ut Rector Academiae Magnificus, Illustrissimi Domini Comites, Perillustres Liberi Barones, cum Patribus Aliae nostrae Conscriptis, ac Generosissima, Nobilissimaque Iuuentute, in Patriae spem ac emolumentum efflorescente, nec non reliquis studiorum fautoribus ac aestimatoribus, interesse, haud dedignentur, Ordinis nostri, meo, & Candidati nomine exoro. D. Vitembergae
d. XII. Iul. An. MDCCXXXVII.

VITEMBERGAE
TYPIS EPHRAIMI GOTTLÖB EICHSFELDI

Wittenberg Diss. 1737


W.W.

ULB Halle
004 087 461

3



56.



B.I.G.

Black

17205 17205
35. 1737 26 31

ORDINIS
IVRE CONSVLTORVM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.
DECANVS
GODOFRIDVS
LVDOVICVS
MENCKEN
ICTVS

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET
PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE AVLAE AC
IVSTITIAE NEC NON IN SVMMO PROVOCATION-
SENATV CONSILIARIVS ITEMQVE COLLEGIO-
RVM QVAE VITEMBERGAE FLORENT IVRI-
DICORVM ET IVDICII PROVINC LVSAT.
INFER. ASSESSOR

as Cont. El. 27. B. 1.

1 1/2

337.